



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Cap. I. De erroribus huius temporis circa Incarnationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

CAPVT PRIMVM.

De erroribus huius temporis circa Incarnationem.



QVOD ergo ad PRIMVM attinet, duo sunt hoc tempore genera errantium circa incarnationem. aliqui enim aperte & directe oppugnant hoc mysterium; alij obscure & quasi oblique.

Ad PRIMVM genus pertinent Anabaptistae & Svvencfeldiani. ANABAPTISTAE disertè docent, Christum non habuisse veram carnem ex Virgine assumptam. Testatur Ioan. Cochläus in libro de erroribus Monasteriensium Anabaptistarum, hunc esse vnum ex praecipuis eorum articulis.

Præterea MEMNON ex signiferis Anabaptistarum docet, Christi corpus ex Patris substantia coelitus delatum in vterum Virginis, vt patet ex Colloquio VVismariensi. Michaël SERVETVS & ipse Anabaptistarum vnus lib. 2. de Trin. docet, Christi carnem esse diuinam & coelestem, ac ex Patris essentia genitam. GASPARETIAM SVVENCZFELDIVS in lib. de diuina maiestate humanitatis Christi docet, Christi humanitatem post ascensionem non esse creaturalem, sed supercreaturalem, & ipsum Christum etiam ratione humanitatis esse verum Deum. Denique testatur PETRVS CANISIVS præfat. lib. 1. de corruptelis verbi Dei, anno M. D. LXXI. publicè factam potestatem Anabaptistis disputandi quaestionem illam; An Christus ex Virgine carnem assumpsit, an aliunde; idque in ditione Palatini prope Heidelbergam.

Ad SECVDVM genus pertinent hoc tempore ferè omnes LVTHERANI, qui duo docent, ex quibus sequitur, eos vel esse Eutychnianos, vel Nestorianos, vel monstrum ex vtraque hæresi temperatum. PRIMO dicunt, Christi carnem habere attributa diuinitatis, ac præcipuè omnipræsentiam. SECUNDO docent, hypostaticam vnionem consistere in ista communicatione attributorum diuinorum ipsi carni & humanitati. Et si quidem volunt ista attributa coniungi essentialiter humanitati, iam illa fiet vnum cum diuinitate,

quæ est hæresis Eutylichiana. Si verò coniungi volunt accidē-
taliter, tum distinctæ erunt personæ Dei & hominis, & vna
erit in alia per inhabitationem & per accidens, quod est e-
perrè Nestorianum. sed de refutatione postea agemus. Nunc
sententiam ipsorum tantum explicamus.

Auctor huius erroris videtur IACOBUS FABER Scipulensis, ita enim scribit in cap. 12. epist. prioris ad Corin-
thios: *Corpus Christi, id est, assumpta humanitas celum im-
plet & terram; est enim ubique Verbum Dei est, quia
Verbum caro factum est, quare Verbum nusquam est sine
carne.* Et in cap. 14. Ioann. ita scribit: *Cum Filius sit in Pa-
tre & in omnibus Sanctis, qui sunt in celo & in terra, an e-
tiam corporaliter sit? quid ni? sed absque modo, ubi dicitur
uino & incomprehensibili modo, qui non tam modus quam
non modus dici debet.*

Hunc sequutus est in primis LUTHERVS, qui etiam ubique
iactet se credere in Christo vnam personam, & duas natu-
ras, tamen doctrina eius aliud habet. Nam in serm. de Sa-
cramento cœnæ Domini tomo 2. operum eius fol. 13. *Cre-
dimus, inquit, quod Iesus Christus sit iuxta humanitatem
super omnes creaturas collocatus, & omnia impleat. Et potest
pōt: Et habeat omnia in sua manu, & sit ubique præsens* Item
in lib. quod verba Christi: *Hoc est corpus meum*, ad huc firmam
constent, prolixè docet dexteram Dei esse ubique. De hoc
assumit corpus Christi esse in dextera Dei, & ut ipse ait: *Non
in minimo digito, aut lingue dextera, sed in tota*, atque inde
concludit corpus Christi necessariò esse ubique. Item in li-
bro qui inscribitur, Confessio Martini Lutheri de cœnâ Do-
mini, dicit se probare euidenter Christi corpus esse realiter
præsens in cœna, quia est ubique: *Esse autem ubique dicit
se probare, quia est in dextera Dei, quæ est ubique, & ibidem
ponit tres modos essendi in loco.*

PRIMUM localiter, id est, circumscriptiue, & hoc modo
nobis vult Christi carnem esse ubique. SECUNDUM spiritua-
liter seu per penetrationem, & hoc dicit conuenire corpori
glorioso, sed neque hoc modo ponit Christi carnem ubi-
que. TERTIUM cœlestem & diuinum per unionem hypostaticam,
& hoc modo tribuit carni Christi ubique
tem, & ait: *Necesse habes Christi carnem, quæ est cum Deo*

Una persona, longissimè extra creaturas collocare, adeoq̄, tam longè, quàm Deus ipse extra creaturas est, &c. Quibus verbis videtur omnino velle Christi carnem non esse creaturam, sed Deum, cum velit eam longissimè distare à creaturis, & tamen esse vbique. Hinc enim colligitur eam non distare à creaturis distantia locali, cum sit vbique, sed distantia dignitatis & excellentiæ, ac proinde esse reuera Deum; & ibidem reprehendit Zuinglianos, quòd passionem Christi solitribuant humanitati, non etiam Deitati. At certè si caro Christi non est creatura, & Deitas passa est, videtur omnino vnum quid factum ex vtraque natura. & hoc idem repetit in libro de Conciliis, nimirum errasse Zuinglianos, cum dicunt Christi diuinitatem pati non potuisse, vbi (vt aliàs dixi) defendit Nestorium & Eutychem non errasse nisi in modo loquendi.

Ioannes BRENTIVS adèd locupletavit hanc doctrinam, vt putetur auctor Vbiquitatis, cum tamen verè non sit, sed Lutherum sequatur. PRIMVM igitur in Apologia pro confessione VVirttembergensi, in tractatu de cœna Domini, ex professo tradit Christi carnem esse vbique ratione vnionis hypostaticæ. & in libro de duabus naturis Christi, & ascensione & sessione à dextris, idem asserit & probat multipliciter, cuius argumenta postea soluemus. Ibidem asserit Christi corpus etiam ante passionem fuisse in cœlo inuisibiliter, & nunc quoque non esse in aliquo certo loco cœli, sed vbique. DENIQVE in alio lib. de maiestate Christi hominis, in hoc ponit vnionem hypostaticam, quòd Filius Dei in Filium Mariæ effuderit omnia dona, & proprietates suas. Vbi simul Nestorianus est distinguens Filium Dei à Filio Mariæ, & Eutychanus est tribuens carni omnia diuina attributa: *Et Petri, inquit, humanitas in vno tantum loco est, diuinitas autem qua impletur & sustentatur, vbique sese diffundit, & cum propter hanc causam Petrus & Deus seti Filius Dei, qui est in Petro, sint dua distincta hypostases, seti persona: quomodo non etiam propter eandem causam Filius Mariae, & Filius Dei, qui est in Filio Mariae, dua fierent persona?* Hæc ille, vbi hoc solum discrimen ponit inter vnionem Dei cum Christo, & cum Petro; quod Deus non habet Petrum vbique sibi vnitum, & ideo ab eo distinguitur

personaliter; Christum autem habet ubique unitum, & idcirco ab eo non distinguitur personaliter.

NOTABIS verò hoc loco, & in sequentibus Brentij presbiteri Nestorianas illas phrasas, Filius Dei est in Filio Mariae, item, Filius Dei assumpsit Filium hominis. Sic enim patet in eodem lib. *Cum dicitur Deus, seu Filius Dei assumpsit aut uniuersum hominem sibi, seu Filium hominis personam, non id solum significatur, quod Deus substantia seu essentia sua existat in homine, & conferat aliquot dona sua in hominem (sic enim dici posset quod Deus sibi uniuersum personam, non tantum semen Abrae, aut filium Virginis, Verum etiam quemuis hominem, immò quamuis creaturam) sed illud proprie significatur, quod Deus ita se uniat, & coniungat cum homine, ut in ipsum omnem maiestatem suam conferat, nec eum uno tantum aut altero, aut etiam multis, sed in multis adeoq; omnibus, omnibus, inquam, suis caelestibus ac terrenis donis ornet. Et infra: Cum omnipotentiam suam Filium Dei in incarnatione contulerit in Filium hominis, adeo ut eam communem habeat cum Filio hominis, omnipotentiam suam ab omnipotentia pendeat, negari non potest quin etiam contulerit omnipotentiam. Et infra declarans quid sit, Verum caro factum est. Hoc, inquit, tale est quod Filius Dei sic impleat Filium Mariae, ut communicet cum eo omnem suam potentiam, sapientiam, & felicitatem, & praesentiam, ut enim hac sit sententia, non habebitur inter Christum & alios homines discrimen. Et haec saepissimè repetit, in quo certè vides unionem hypostaticam nihil esse aliud, quam effusionem donorum & attributorum Dei in naturam Christi humanam.*

Iam Mathias ILLYRICVS in libro de ascensione Domini, & loco Petri Act. 3. *Quem oportet caelum suscipere, ascendit Christum hominem non esse in caelo ut in loco, sed potius caelum esse in Christo, cum ipse sit ubique. Et licet vult Christum in die ascensionis ascendisse usque ad caelum, deinde non ulterius perrexisse in illa forma corporis visibili & circumscripta, sed quodam modo euauisse, ita ut nunquam sit in illa forma aspectabili, sed ubique sit inuisibili maiestate. quod quid est aliud, quam veram Christi naturam planè destruere?*

MARTINVS KEMNITIVS in libro de duabus Christi natu-
ris, vult videri valdè cautus, & omnia mirabiliter inuoluit.
nam cap. 30. vbi tractat ex professo, An caro Christi sit vbi-
que, non audeo dicere absolute esse vbiq; quæ dicit esse vbi
voluerit, & posse esse vbiq; si voluerit; tamen vel pugnat se-
cum, vel dicit quod alij dicunt. Nam initio libri proponit
præcipua loca Scripturæ pro maiestate Christi, & inter alia
ponit illum ex Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in
in celo, & in terra. Et hoc modo explicat, data est mihi o-
mnis potestas, id est, omnipotentia, in celo & in terra, id est,
omnipræsentia. Deinde cap. 4. habet hæc verba: Quæ vnio
adeo arcta, indiuidua, & insolubilis, & inseparabilis est, &
diuina natura & λόγος nec velit, nec possit, nec debeat extra
hanc cum carne vnionem, sed in arctissima illa vnione cogi-
tari, quari aut deprehendi. Et hoc aliquoties infra repetit.
At si natura diuina non potest cogitari, vel comprehendi si-
ne carne, necessariò sequitur vnum esse de essentia alterius,
& proinde vna natura erunt.

Ibidem dicit, ex vnione hypostatica communicari carni,
seu humanitati omnes diuinas dotes. Et cap. 21. dicit, præter
dona infusa, & creata communicari naturæ assumptæ, etiam
attributa propria diuinitatis, & proinde omnipotentiam, &
omnipræsentiam. Denique cap. 30. dicit Christi humanita-
tem non solum esse in cœna, sed etiam extra cœnam in Ec-
clesia præsentem fidelibus reipsa. & addit, etiam extra Eccle-
siam omnia subiecta esse Christi humanitati, & Christi hu-
manitatem omnibus rebus dominari, & omnia regere, non
per Vicarios quasi à rebus distet, quomodo reges gubernant
prouincias per alios, sed habere omnia præsentia. at nõne
hoc est esse vbiq;?

Similia docet IOANNES VVIGANDVS in lib. de cõmunicati-
one idiomatum, & NICOLAUS SELNEC CERVS in libro de pæda-
gogia spiritali, vbi Symboli articulum de ascensione expo-
nit. IOANNES etiam TIMANVS pastor Bremensis in libro quæ
vocat farraginem sententiarum, adducit plurima testimo-
nia insignium Lutheranorum, quòd Christi corpus sit vbiq;
Andreas MUSEVLVS, teste Staphilo in lib. de concordia disci-
pulorum Lutheri, contendit, diuinitatem Christi in cruce
passam esse, idq; probat pluribus Lutheri testimoniis.

¶

Item

Item IACOBVS ANDREAS SMIDELINVS Superintenden
 VVirtembergensis insignis Brentianus in theſibus Tobia-
 gæ diſputatis omnino non agnoſcit aliam vnionem hypo-
 ſtaticam, quàm per communicationem donorum, eamque ac-
 cidentalem. Nam theſi 20. ſic ait: *Non eſt imaginanda ut
 fingenda alia Dei in Chriſto, quàm in creaturis reliquis
 nibus, quoad ſocietatem, diuinitatis præſentia, quæ ſit in creaturis
 energia diſcernitur, quod alia in aliis agat & operetur, ut
 Chriſto tota effunditur, ſit iam extra ipſum nihil, ſed in homi-
 ne & per hominem Chriſtum omnia in omnibus operetur.* Et
 theſi 22. ſic ait: *Neque, Verò hac reali plenitudine, omnia diuini-
 tatis communicatione natura humana cum diuinitate miſce-
 tur, aut planè aboletur, ſed quod diuina eſt per eſſentiam, ad
 humana ſuo modo per accidens communicatur.* Et theſi 24.
*Hac ſola, inquit, idiomatum κοινωνία hypoſtatica ſimiliter defini-
 enda eſt.*

Denique Concordia Euangelica anno M. D. LXXX. edita,
 hunc præcipuè ſcopum habere videtur, vt ſtabiliret Vbiuitatem,
 & deſtruat myſterium Incarnationis. Nam in epitoſe
 articulorum controuerſorum art. 7. §. 5. habes, dextram Dei
 eſſe vbique, & ad eam eſſe euectam Chriſti humanitatem.
 Art. 8. §. II. habes, ab ipſa cõceptione Chriſti illum hominem
 aſſumptum fuiſſe in Deum, & exaltatum ad dextram Dei
 ita vt non ſolum Chriſtus vt Deus, ſed etiam vt homo omnia
 poſſit, omnia ſciat, omnibus creaturis ſit præſens. Ceterum
 hæc omnia Chriſtum non oſendiſſe niſi poſt reſurrectionem,
 quando depoſuit formam ſerui. Deinde in repetitione
 pioſa eorundem articulorum iſta omnia prolixè probantur.

EST AVTEM obſeruandum, Saxonicas Eccleſiaſtas recepiſſe
 taſſe ſententiã. Nam initio, Luthero docente, defendebatur
 cum ipſo Vbiuitatem. Deinde Luthero mortuo, regnante
 Melanchthone, cõeperunt oppugnare Vbiuitatem contra
 Illyricum & Brentium. Nam Philippus in 3. cap. epiſt. ad Co-
 loſſ. apertè damnat Vbiuitatem, & vult Chriſtum eſſe in
 certo loco cœli quoad carnem, vbique autem quoad diuinitate-
 tem. Et in epiſt. ad Fridericum Comitem Palatinum, quam
 ſcripſit anno M. D. LIX. Alij, inquit, Vbiuitatem expoſu-
 erunt. Et addit: *Hæc ſunt portentosa omnia, ignota Frigidis
 Veteſtati.*

Unde etiam anno M. D. LXXI. celebrauerunt Synodum DRESDENSEM, conuenientibus & consentientibus omnibus Superintendentibus ducatus Saxonici, necnon Doctoribus Academiarum Lipsiæ, & VVittenbergæ, atque ibi statuerunt Vbiquitatem corporis Christi esse horribilem prophana- tionem omnium articulorum Symboli, & renouationem om- nium hæreseon: *Quod, inquit, præcipuum fidei nostræ, & Ecclesiæ caput est, videlicet articulus de duabus naturis in Christo, id commentitia idiomatum reali, & physica in ipsis naturis communicatione deprauari horribiliter, atque è con- trario hæreses iam olim damnatas Marcionitarum, Valenti- nianorum, Manichæorum, Samosatensium, Sabellianorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum & Monoteli- tarum reduci, atque innouari satis euidenter demonstra- tum est. Et infra: Commentitia ista communicatio physica, qua nostro primùm tempore cum Vbiquitate corporis Chri- sti introduci cepta est, & inuersa Orthodoxa Ecclesiæ, & to- ti orbi Christiano inde & ab initio incognita fuit, atque etiam nunc à Pontificiis ipsis reicitur, & taxatur acerrimè. Et infra: Commentitia illa Vbiquitas horrendum in modum corripit omnes penè articulos fidei de Christo, ac discrimen diuinæ, & humanæ naturæ in Christo imprimis delet atque e- uertit. Hæc illi tunc. Vbi etiam gloriabantur, in Saxonia semper fuisse eandem fidem immobilem, & consensum in doctrina.*

At non fluxerunt anni decem, quando prodiit ex eadem VVittenberga, & Lipsia, & ceteris eius regionis locis noua Concordia, in qua tantoperè damnata illa Vbiquitas, reci- pitur pro articulo fidei, sic enim habet ea Concordia edita in 4. anno 1580. pag. 731. *Reuera omnia implet, & Vbiq; non tantum & Deus, verum etiam & homo præsens dominatur à mari & usque ad mare.* Hæc illi, qui eadem repetunt, & supra pag. 572. & infra pag. 745. ac proinde Dresdense Concilium, in Spiritu sancto congregatum, vt ipsi credebant, reiciunt tanquam impium; & adhuc non vident, quàm apertè delu- dantur à Satana?

Scripterunt contra hanc Vbiquitatem præter Scholasti- cos in 3. d. 22. CLAVDIUS Sanctius repetitione 4. de Euchar. & ante eum scripsit quidam ex nostris theses quasdam de maiesta-

maiesta-

maiestate Christi hominis, quæ sunt Ingolstadij excusæ an-
M. D. LXXIV. Ex aduersariis scripserunt Henricus BRE-
GERVS libro de duabus naturis Christi; Petrus MARTYR de
logum de loco corporis Christi; & Theodorus BEZA libro
de omnipræsencia carnis Christi contra Brentium, & aliorum
de vnione hypostatica duarum in Christo naturarum contra
Schmidelinum.

CAPVT II.

Explicatur hæresis Eutychetis.

AM verò vt ad SECUNDVM veniamus, demon-
strandum est, duas esse in Christo natura-
us explicanda est sententia Eutychetis, quæ legi-
fer habetur eius hæreseos, quam nunc refellimus.
Sciendum igitur est, hæresim fuisse EUTYCHETIS, in Christo
post incarnationem vnã tantum fuisse & esse naturam. Non
enim putabat aliter posse defendi contra Nestorium, esse
num Christum & non duos.

DEINDE dicebat, vnã esse factam naturam ex diuini-
tate, & carne, per conuersionem diuinitatis in carnem. Quod
scriptum est Ioan. I. *Verbum caro factum est*: & vnũ
alterum, est verti in illud, sicut cum aqua facta est vinum,
aqua conuersa est in vinum. & nunc cum panis per conu-
ersionem fit caro Christi, panis conuertitur in carnem
Christi.

TERTIO asserbat, diuinitatem Verbi natam, passam,
mortuam, sepultam fuisse: quod quidem ex prioribus erroribus
nascitur. Si enim diuinitas versa est in carnem, & caro natam
passa, mortua, sepulta dicitur, certè diuinitas nata, passam,
mortua, sepulta dicenda est, non enim ita diuinitas in carnem
versa in carnem, vt desierit esse diuinitas: quo modo aqua
cùm in vinum vertitur, desinit esse aqua. Ratio huius erroris
fuit, quia nõ putabat posse refelli Nestorium, qui Christum
Deum natum & passum negabat, nisi diuinitas Christi nata
& passa ostenderetur.

QUARTO asserbat, Christi carnem non esse eiusdem
naturæ cum nostra, neque Verbum in veram carnem esse
con-